DE ANIMI PERTURBATIONIBUS DEQUE ILLARUM INFLUXU IN SOMATICAM...

Francesco Rocchi



DE

ANIMI PERTURBATIONIBUS

DEQUE ILLARUM INFLUXU
IN SOMATICAM VALETUDINEM

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD MEDICINÆ LAUREAM OBTINENDAM

Franciscus Rocchi

OPITERGINUS

PROPONIT



PATAVII

TYPIS PENADA

MDCCCXLIII.

Genitori amatissimi!

Non è la consuetudine, non è l'esempio degli altri che mi conduca ad intitolarvi il primo frutto degli studii miei in questo giorno della mia Laurea. È la riconoscenza, è l'amore: e se Voi tutto ſaceste per me, vuole dovere ch'io Vi retribuisca nella più pronta maniera che mi è concessa. A Voi tutto deggio se ripeto dalla Vostra premura un tesoro ben superiore ad ogni retaggio, l' educazione. S' estimi altri ſelice se le sudate ſatiche paterne l'abbiano arricchito di pingue patrimonio, povero lasciandone l' intelletto. L' amore de' miei cari, il Vostro soprattutto, la speranza di tornar utile, per quanto mi ſia possibile, all'afflitto mio simile, un cuore che esulta ai moti della gratitudine, dell'affetto è quanto basta a ſormare la ſelicità del

Di Padova li 31 *Agosto* 1843.

Vostro Affett. Obbed. Figlio
FRANCESCO [redacted]

Quidquid contrariam opinionem amplectentes sentiant, certum indubitatumque est animi pathemata influxum summum in humanam sanitatem exerere, ideoque, vel tanquam nocentes vel therapeuticae potentiae agant, passiones medici philosophi attentionem exposcunt. Quum vero hanc sententiam exponamus, non credimus, uti nonnulli putabant, morbos omnes ex animi perturbationibus originem directe repetere, attamen non negamus morbum ullum vix haberi, qui vel ansam vel incrementum ab aliquo animi pathemate non sumat. Quod si aetiologica vis talium affectuum neminem latet, monere quoque debemus, non minorem activitatem passiones ostendere in bona valetudine restituenda, quapropter medicus prudens et sapiens exinde remedium altioris potentiae repetere valet.

Nec ullus asserti nostri dubitabit, qui consideret, ad peculiarem uniuscujusque existentiam attendens, quemlibet arcano vulnere, abscondito rancore, vel dolore mysterioso angi.

Animi pax, tranquillitas saepe adparens frequentissime abyssum passionum oculis obtegit, ridentibus floribus similis, qui sepulcrum exornant.

Gaudii, timoris, irae, vanitatis, laesi honoris, illusi amoris, zelotypiae secretum phantasma fallaci tegitur quietis adspectu, talisque conflictus eo majores bonae valetudini insidias struit, nec modo nervosum sed et cuncta organismi systemata, ob nexum nervos inter ceterosque textus omnes intercedentem, male afficere potest. Nec minor est animi motuum actio ad valetudinem periclitantem reparandam, saepe enim improvisa laetitia, exhilaratio, consolationis vis morbos radicitus sanare potuit, quos medici incassum, pharmacopolii omnibus auxiliis advocatis, omni studio atque activitate adgressi sunt.

Qua de re, quum tanti momenti animi perturbationes sint in bona malave valetudine paranda, absonum non puto de his breviter sermonem habere hac die, qua, laurum medicam obtinens, legibus academicis astringor aliquid de medico argumento in medium ferre. Nolite, quaeso, operis tenuitatem severa lance perpendere; sed bonae voluntati faventes infirmis viribus tyronis parcite.

Animi perturbatio affectionem constantem, impulsum continuum, desiderium vehemens et permanens, voluntatem immutabilem vel proclivitatem perstantem designat ad aliquod objectum obtinendum, ad actionem quamcumque

exercendam. Animi affectus, affectio, passio, pathema priori denominationi respondent.

Quotiescumque perceptiones, quae morales nuncupantur, quae scilicet primas necessitates organicas non respiciunt, sed curiositatem solummodo vel observationis desiderium, vivas emotiones non excitant, hominis actiones saepissime silerent, ni natura huic activitatis defectui alia ratione providerit. Prouti in vitae cursu progredimur, hae perceptiones cum reminiscentia magis magisque nectuntur, atque cum necessitatibus vitae essentialibus, a quibus prius sejunctae procedebant; et vix objectum temporis progressu invenitur, quod ab hujusmodi perceptionum imperio subtrahatur.

Mensae adspectus famem excitat, vas revocat sitim. Suavis umbra campestrem pastum in memoriam ducit, cujus idea adpetitum promovet; florum visus, vestis etc. voluptates pingunt cum amasia jandudum habitas; praecipitium periculum transactum, ensis luctam, victoriam vel defensionem et emotiones omnes exinde oriundas etc.

Tali pacto relationes hujusmodi idearum associationis ope instituuntur, atque, etiamsi non raro famis, sitis, conservationis aut reproductionis instinctus non evolvantur, tamen aliae necessitates excitantur, quae directe vel indirecte cum praedictis nectuntur. Ita pauperes ex hisce relationibus emotiones percipiunt, quae ad primas organicas necessitates sui ipsius vel

familiae referuntur, dum divites, sapientes, poëtae etc. varias omnino et semper novas formas induentes passiones acquirunt. Philanthropi etiamsi ab apparenter indifferentibus objectis excitentur, dein semper ad misericordiam tendunt, ascetici vitam novam incessanter respiciunt, et omnes ex obstaculi idea ad emotiones doloris feruntur, cujus generis ira vel timor haberi debent.

Plures divisiones de animi pathematibus auctores varii proposuere, ita plerique *deprimentia* sive *excitantia* pathemata distinguunt; haec tamen divisio inexacte rei essentiae respondet; pathemata enim omnia revera excitant, et depressionis consequentia nil aliud est nisi effectus adparens differentis gradus et directionis emotionis perceptae. Magis respondet logicae sententiae divisio animi perturbationum a Galeno proposita pro variis effectibus, quos in organismo exercent. Prima series *desperationem*, *tristitiam*, *dolorem* etc. comprehendit; secunda *spem*, *laetitiam*, *gaudium* etc.: in priori motus vitales a circumferentia ad centrum tendunt, in altera a centro ad peripheriam; videtur quod differentia praecipua in utraque sectione in eo sistat, quod pathemata priora defectu reactionis voluntatis comitentur, dum talis vividior reactio in aliis praevaleat. Quoad fallaciam prioris divisionis, haec clare patet e facili progressu unius in aliud pathema oppositae conditionis. Sanchez quatuor admittit genera animi

perturbationum, duo individuali conservationi adversantur cetera ipsi favent. Prioris generis sunt *dolor* scilicet perceptio mali praesentis, et *timor* nempe perceptio certi mali futuri; ad secundam seriem refertur *satisfactio* quae illico et immediate spiritum adficit et *desiderium* in quo affectio venturum tempus respicit. Ad varias hasce adfectiones pleraeque aliae reducuntur quae ex iisdem mediate vel immediate dependent. Quamvis vero principium, quo divisio haec innititur, adparenter rationali respondeat philosophiae; tamen, si penitius rem investigemus, infirmum detegimus fundamentum; nam et prioris et secundae seriei affectus conservationi vel destructioni organismi favere possunt pro gradu diverso, quo vim suam exercent; dolor enim ipse, qui summa activitate salutis destructionem fovere potest, non raro sicuti fidelis bonae valetudinis custos haberi meretur, utpote qui de instante periculo, de morbo incipiente indicia nobis suppeditat, et primum fugere auxiliaque petere nos docet. Contrarium de desiderio censendum, quod non raro bonae valetudinis conservationi insidias struit. Broussais passiones omnes ad *gaudium* sive ad *dolorem* reducit, atque hisce ex praecipuis affectionibus ceterae cunctae derivant. Hac in sua divisione nil adjecit communi opinioni a philosophis prolatae.

Quin vero ceteras passionum divisiones exponam, ad praecipuas sententias progredior de

passionum sede. Etiam de hoc argumento physiologorum mentes inter se valde discrepant. Bichat ad sententiam veterum accedens putat cerebrum in passionibus nunquam affici, eas vero sedem suam figere in organis internae vitae plasticitati dicatae. Hoc auctore sentiente, vita animalis nonnisi secundarie laeditur, dum constanter organa vegetationi inservientia afficiuntur sub passionum imperio. Harum affectionum effectus semper vitam organicam respicit, talisque sententia facile confirmatur a consideratione cachexiarum aliorumque morborum, qui in vita vegetante praesertim sedem figunt, a pathematibus originem sumentium. Excitatio a passionibus producta adparatum sensorium externum sive periphericum solummodo adficit. Quamvis vero centrum actionis pathematum vita organica sit, haec tamen peculiari et praecipua ratione etiam motus organorum vitae animalis afficiunt. Musculi voluntarii, animi pathematibus saevientibus, modo actionem celerrimam, inordinatam, involuntariam exercent, modo mobilitate privantur. Hujusmodi phaenomena procedunt ex sympathica cerebri universi excitatione, vel unius alteriusve partis centrorum systematis nervosi vitae animalis, quae ab affectione primaria hepatis, pulmonum, cordis aliusve visceris vitae vegetativae inservientis fomitem repetit. Ex hac secundaria cerebrali affectione novitus prima organica impressio modificatur, augetur,

exasperatur, et continua relatio perdurat actionis plasticae vitae atque reactionis animalis et viceversa; quapropter frequenter animi pathemata chronicum decursum explent; talique pacto temporis progressu summa difficultate distinguere possumus an cerebri vel plasticae vitae affectio primaria et praecipua fuerit. Aberrationes praeterea motus muscularis non semper a cerebro laeso proveniunt; nam aliquando musculis ex directis nervosis communicationibus, quin cerebrum in compassionem trahatur, a vitae vegetantis instrumentis stimulum recipiunt.

Gall diversa prorsus via processit, quum passionum sedem determinare voluerit. Ipse putavit encephalum passionibus omnibus fomitem et locum suppeditare, immo censuit passiones nil aliud indicare nisi excessum sive manifestationem eximiam unius alteriusve instinctus sive proclivitatis, aliaque ex parte credidit, ut neminem latet, hanc aliamve cerebri regionem huic alterive inservire instinctui aut mentis functioni.

Alii physiologi in passionibus actionem primariam semper visceribus tribuunt et encephalo secundariam.

Hae vero quaestiones inanes videntur nec plane sanae criticae respondentes. Modo enim motus a cerebro procedunt, modo a vitae plasticae visceribus promanant; utroque vero in casu diffusio certa semper contingit; quaproter

nec viscera modo, nec encephalum tantum passiones aggrediuntur, sed organa universa, atque systemata; quin immo nec ipsa fluida organica immutata relinquunt. Donec passiones primis organicis necessitatibus prospiciunt viscera eminenter afficiunt, cerebrum e contra si sub forma sensationum impellentium altioris vis manifestentur. Si tamen opinionem nostram exponere hoc de argumento nobis concessum sit, asserere non dubitamus frequentius systema nervosum cerebrale primitus affici, dum minime veritati respondeat amorem, gloriae desiderium et similia praesertim pectoris sive abdominis viscera immediate adgredi. Secundarius quidem effectus harum passionum facilius hoc aliudve viscus tenet; id vero constanter non contingit et probabilius videtur ea organa eminentius quacumque in passione affici, quae per se male disposita inveniuntur.

Sedes ergo varia et via, quas passiones eligunt, ex sequentibus facile deducuntur — 1) viscera vitae vegetanti inservientia peculiari ratione ex causis a cerebro alienis stimulata, encephalum statim instinctiva et intellectuali ratione excitant, et hoc systematis nervosi centrum ipso facto in viscera eadem reactionem exercet: 2) cerebrum intellectualem stimulum passum viscera cetera modo instinctivo excitat quae statim reagunt — idque semper contingit modificationibus plerisque gaudii vel doloris locum habentibus. Ut vero *passio* stricte

dicta obtingat necesse est quod series actionis instinctivae et intellectualis reactionis atque vice versa per temporis lapsum plus minusve longum perduret. Re quidem vera in passionibus fere semper instinctus necessitas reperitur, quae intellectum stimulat, et permanens intellectus opus ad instinctum satisfaciendum. Ad hanc passionum seriem, si rem exacta lance perpendamus, plures passiones quoque referuntur quae stricte ab intellectu procedere videntur, et pro fundamento sui ipsius amorem agnoscunt. In his enim variae formae tantummodo conspiciuntur ejusdem desiderii ad sui ipsius bonum respicientis, gratas emotiones advocantis, ingratas refellentis.

Physiologus in emotione grata vel ingrata, quae passioni fundamentum suppeditat et actiones hominis determinat, systematis nervei excitationem solummodo cernit et praesertim encephali: dein viscera vegetantia in compassionem trahuntur, haec stimulum novitus ad cerebrum mittunt, talique modo actiones humanae non raro determinantur. In cerebro vero comparatio et determinatio succedit voluntatis legibus directa, donec passiones talem gradum non acquisiverint ut ipsius voluntatis et intellectus imperium obfescarent. Praeter vero passiones ex necessitatibus primis organicis originem habentes, et aliae adsunt quae ab intellectuali cultura directe procedunt et fictitiae appellari merentur. Sed si attentius observentur

hujus generis passiones, eamdem causam agnoscunt, peculiari modo ab individualibus, intellectualibus vel socialibus ideis modificatam sive extensam.

Generali hac ratione evolutionis passionum exposita, nunc transeundum puto ad effectus quos in nostro organismo inducere possunt; atque, licet relicta vulgari opinione, quae ipsis activitatem summam in somatica vita modificanda tribuit, de hoc valido influxu nemo dubitabit qui primis physiologiae principiis modice imbutus sit.

Revera cerebrum et ganglia, immo universum nervosum systema centrum commune aliorum omnium sistunt; cerebrum et ganglia ab animi affectionibus afficiuntur, ergo ex hoc fonte complures organici morbi originem repetunt. Revera sensationes, impressiones, molestiae, acerbae morales reminiscentiae continuo cerebrum stimulant et hinc viscera cuncta, et effectus inde productus eo magis perspicuus fit si sensibiles vel irritabiles individuos afficiant. Sub valida passione instinctus omnes, sensus et cogitationes, cunctae uno verbo vitae vires in unum conveniunt, dominantem ideam solummudo respiciunt. Hoc in casu talis intensio virium vitalium, talis absoluta functionum turbatio, talisque sensibilitatis excitatio occurrunt ut dummodo hic status perduret vita procul dubio labefactari debet. Auctores complures censent passiones omnino conservationi no-

strae contrarias nec raro subitam mortem patrare; immo ex hoc fonte frequentius homines vitam socialem viventes necem immaturam occumbere. Horum juxta sententiam, si anatomiae pathologicae cultores, sectionum historias exarantes, cujusvis defuncti passiones notassent et conformationis irregularitates, certe intima relatio inter laesiones organicas, ex quibus mors processit, et praegressa pathemata deprehenderetur.

Descriptio generalis effectuum passionum in nostro externo organismo inutilis evadit, nec forsan exequi potest; revera passiones omnes differentem adspectum homini tribuunt, talisque adspectus pro variis hominibus atque, in eodem individuo ipso, pro differentibus circumstantiis, pro vario temporis momento modificationes innumeras afferre valet.

Quum vero in genere phaenomena magis constantia sub passionum actione investigemus sequentia notare possumus. In passionibus illis, in quibus sensationes vivaces, vehementes, expansivae rapide succedunt, in quibus laetitia, spes, benevolentia praevalent, cerebrum activum manifestatur, somnus somniis agitatur voluntatis vim perfecte patefacientibus, cor valide pulsat, pulsus pleni et celeres offeruntur, virium augmentum persentitur, pulmones aucta energia agunt, respiratio frequentior est, inspirationes profundae sunt, expirationes breves et fortes, artuum motus liberi et validior es. Si

passiones hujus generis altiorem gradum attingant, si frequenter occurrant et subitum augmentum patiantur cerebrum ad apoplexiam et effusiones disponitur, cor anevrysmatibus praesertim in cavitate sinistra obnoxium fit, pulmones haemorrhagias sufferunt. Ventriculus dein afficitur, functiones suas male exerit, et consequenter totius vitae plasticae opus aberrat. In feminis vero, in quibus uterus organon altioris est momenti, ibi sanguinis affluxus tendit, nec raro ex hac causa menorrhagia, metrorrhagiae, abortus originem repetunt.

In passionibus vero vividis, fortibus sed concentratis, in quibus tristitia, timor, avversio praevalent, cerebrum morbose, dolorose excitatur. Somnus negatur vel tristibus turbatur somniis, in quibus voluntas imaginariis obstaculis vincitur. Cor in pulsatione sua majus spatium occupat, ictus vero rariores et magis lenti percipiuntur, aliquando pulsus durus cernitur, cordis regionem sensus ponderis et anxietatis opprimit, respiratio difficilis fit, in epigastrio commotiones plures vivaces accusantur, artus involuntariis contractionibus cedunt. Passiones hujus generis meningum et cerebri phlogoses inducunt, anevrysmata cordis dexteri et hujus visceris hypertrophiam, congestiones pulmonales, pleuritides, gastritides, gastroenteritides, gastro-hepatitides chronici decursus. In feminis menstrua supprimuntur, conceptio difficilius contingit, fetus evolutio pro parte

impeditur, illius mors in utero non raro occurrit, nec infrequenter chronica metritis locum habet.

Priusquam ad laesiones speciales organicas accedam a passionibus productas, casus nonnullos referam effectus harum moralium perturbationum.

Passiones vehementiores bonam valetudinem laedere plerisque in historiis legimus. Sophocles, Philippides, Chilo, Xeuxis subito et immodico gaudio perculsi mortem occubuere. Moeror plures victimas misit ad orcum. Clemens VII, poëta celeberrimus Racine mortem tali ex causa subiere. Alias lentius moeror agit; somnum amovet, ventriculi activitatem enervat, nutritionem laedit et marasmo denique favet. Metus graviora adhuc damna parit; illius enim virtute cordis actio languet, suspirium difficulter educitur, vires infringuntur. Eosdem fere effectus etiam pudor adducit. Hic animi affectus genas rubore suffundit, evacuationes supprimit, morbos gravissimos promovet. Citius magisque terror nocet, hinc lipothymiae, cardiopalmus, convulsiones, improvisa canities, et lethalis apoplexia. Quum Espinosa objurgationem acerbiorem a Philippo II. Hispaniarum rege sufferret, ita percellebatur ut brevi interiret. Ira, uti nonnulli perbene dixerunt, brevi vesaniae furenti similis adparet. Sub ira facies rubet, oculi micantes prorumpunt, os spuma obruitur, sanguinis cursus celerior fit. Hi tamen non sem-

per effectus ex ira procedunt, aliquando enim etiam contrarii succedunt; ita facies squalida conspicitur, pulsus parvus evadit, anhelosa fit respiratio, vox lente et difficile editur. Nerva et Attila inter iracundiam periere. Odium et invidia animum torquent et corpora destruunt. Affectus vero qui salubrior censetur est spes; haec enim nimis, uti gaudium, non stimulat, sed moderate afficit, ita ut bonae valetudinis conservationi prospiciat.

Quod de specialibus hisce passionibus diximus de ceteris quoque repetendum foret. Pro variis aetatibus diversae passiones praevalent; ita v. gr. prima aetate praestat invidia, pubertate accedente concupiscentia, ambitio in virilitate animi arbitra fit, et dein labentibus corporis viribus, imperium animi capit abjecta avaritia, quae ultimos vitae dies miserrime corrumpit et perturbat.

Sed passionum tristes effectus non modo externas vitae manifestationes et momentanee laedunt, quin immo organicam compagem ipsam peculiari ratione afficiunt, et plerisque vitiis organicis favendo, ipsi vitae fonti in intimis penetralibus insidias struunt. Hae aberrationes organa cuncta non modo sed etiam humores peculiariter aggrediuntur.

In genere organon, quod frequentius passionum malum influxum in se suscipit, cerebrum est, ibique non raro centrum, fons et sedes affectionis invenitur. Congestiones encephali,

meningitis, apoplexia, paralyses, alienationes mentales praecipua damna sunt ex tali origine desumenda. Quomodo idea, immaterialis scilicet vis, in encephalum ita agere possit ut illius functiones non modo sed et ipsam fabricam organicam morbose mutare possit nos adhuc latet; idque nulla alia ratione explicari potest nisi per intimum commercium, quod inter functiones et organa agentia intercedit, quapropter haec vel illae sejunctim nullo pacto affici possunt. Inter affectiones, quae ad cerebrum referuntur et frequentius a passionibus immodicis derivant, vesaniae numerantur. Passionibus hisce saevientibus affluxus sanguinis ad cerebrum augetur et innervationis vis intenditur. Passiones quae majori violentia intellectum laedunt nec ad gaudium nec ad dolorem directe reducuntur, sed alternationem rapidissimam inter oppositas emotiones excitant, v. gr. invidia, zelotypia, spei et desperationis successio etc.

Post cerebrum facilius ventriculus actionem passionum persentit. Statim adpetitus laesio et turbatio digestionis locum habent. In posterum gastritides, scirrhus pylori, ventriculi exulcerationes, congestiones, perforationes contingunt, et quandoque haematemesis. Gastralgiae quoque complures ex hoc fonte originem obtinent; et frequentissime, licet animi perturbatio nullam externam laesionem patefaceret, tamen ventriculus suam activitatem deperdit,

et paralysi correptus functionem suam, ex qua universae vegetationis processus dependet, relinquit.

Quae de stomacho diximus etiam de intestinis sunt repetenda, licet effectus passionum in his difficilius manifestetur. Non raro enim motus peristalticus sub animi perturbationibus spasmo vel paralysi corripitur, ita ut evacuationes impediantur vel sponte secedant, quin voluntatis imperio obediant. Hisce adde inflammationes, congestiones etc., quae etiam ventriculo pertinent.

Passionum influxus in cor neminem latet. Praecordia sub illarum actione anxietatis sensu corripiuntur, pulsationes cardiacae irregulares fiunt, modo peripherica modo centralis circulatio praevalet cum alterius imminutione. Vitia organica vero cordis saepe ex hac causa prorumpunt, ita exulcerationes, hypertrophiae, angustationes, lithiases, degenerationes et ipsa anevrysmata hujus generis sunt. Nec desunt exempla dilatationis venae cavae in hominibus aerumna vexatis. Quandoque etiam succedunt ex cordis contractilitate imminuta aliorum organorum emphraxes.

Hepatis commotio sub passionum influxu quotidiana experientia manifestatur. Ira, invidia, metus icterum, vomitum et diarrhoeam biliosam non infrequenter gignunt. Si vero chronico decursu animi perturbatio procedat hepatis infarctus, abscessus, calculi biliares consequuntur.

Haec organa sunt quae facilius corripiuntur,

sed et alia viscera non raro male passiones afficiunt, si ea praesertim dispositione morbosa notata sint.

Solidis organicis laesis, etiam humores alterantur; observationibus enim innixi negare non possumus illorum mutationem immediatam, dependentem a solidorum laesionibus et praesertim a nervea actione modificata. Sub animi motibus, vulgo excitantibus vocatis, temperies sanguinis augetur et hic humor effervescit, alteratur, ad inflammationes tendit. Bilis quoad quantitatem excedens inter iracundiam etiam qualitativas mutationes subit, ita acrem indolem assumit. Nec minus lactis conditiones mutantur, illius copia modo deficit, modo excedit, et sub animi motibus, hic humor extemplo fluidus, aqueus, spissus, acerrimus, veneficus factus est. Etiam urina valdopere, mutatis animi conditionibus, mutatur, nec infrequenter urina biliosa, spastica etc. in animi perturbationibus adnotatur: idem de cutanea perspiratione dicendum. Attamen prae omnibus organicis humoribus in affectionibus moralibus saliva modificatur: hujus generis aberratio, ira saeviente, praesertim adparet; morsus enim irati animalis vel hominis veneficas proprietates ferme includit. Per analogiam mutationes quoque supponere debemus in ceteris fluidis organicis, quae sensus nostros fugiunt.

Haec praecipuae laesiones sunt, quae procedunt ab immodicis vel malis animi perturba-

tionibus; non desunt tamen casus, in quibus contraria agant ratione, ita non raro conspicimus aegrum, ad extrema vitae proxime accedentem, bonam valetudinem ipso fere facto recuperare si amasiae vultum respiciat, si laetitiae dulcedine gaudeat, si consolationis aut spei verba subito audiat. Morales ergo affectiones, licet frequentissime plurium morborum causam constituant, non raro tamen qua activissima remedia vim suam exercent; qua de re medici prudentis nutu et sapientia directae praecipuam desperatae salutis anchoram sistere queunt et princeps auxilium medicinae psychicae suppeditare.



THESES DEFENDENDÆ

I.

Primus frequentissimus materialis effectus animi motus in congestione consistit.

II.

Complures vesaniarum species non quoad pathologicam essentiam, sed solum quoad formam differunt.

III.

In vesaniis nan raro prima morbi sedes in cerebro non est quaerenda.

IV.

Humores circulantes in animali vivente nullo pacto putredini subjici possunt.

V.

Qui morbos in fluidis cernit, quin etiam solida affecta sint, illusus judicandus.

VI.

Quaevis aetas, quodvis temperamentum, quaevis natio peculiaribus animi perturbationibus torquetur.

VII.

Probabilitati respondet, quod sexus differentia animalis futuri non ipso conceptionis momento, sed sub evolutionis progressu determinetur.

VIII.

Medicus amicum curans pessime plerumque curat.

